

/ Admodum Reverende Pater, veluti frater. Cum magna mei animi voluptate perlegi librum, quem ad me dignata est mittere R.V. in quo examinat, et confutat praefationem monitoriam regis Angliae. Verè liber iste plenus est eruditione, doctrina omnis generis, et palam
5 ostendit sanctum zelum Dei, qui ardet in pectore auctoris. Praecipuè verò in eo elucet quam bene Vestra Reverentia sit affecta erga S. Sedem Apostolicam, quam adeo strenuè defendit. Apparet etiam quanti faciat sacrum collegium cardinalium, cuius eminentiam, doctrina, ac eruditione varia demonstrat: et praesertim declarat existimationem, quam habet de me: quae licet sit supra meum meritum, bonae tamen voluntati Reverentiae Vestrae multum me debere profiteor. Hac occasione ab amicis intellexi praeclaras animi dotes, ac virtutes R. Vestrae, et qualia dona, et quam eximia acceperit à Patre luminum: ideoque ingentes gratias egi Deo bonorum omnium auctori,
15 quod in his necessitatibus providere voluerit ecclesiam suam tam strenuo operario: et utinam multos similes dignetur mittere in vineam suam. Deus, ac Dominus noster repleat R. Vestram sua sancta gratia, atque eidem Deo in suis sanctis precibus R. Vestra me commendet. Romae, 1610.

20 Epist. famil. LXXX.

cfr. 937 (italice)